



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

V. Quod qui preces vel criminales dictant, habeantur immunes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

## IV.

Et illud desideratum est sciri, cur communicantes viri <sup>32. qu. 5.</sup>  
cum adulteris vxoribus non conueniant, cum contra <sup>Christiana religio.</sup>  
vxores in consortio adulterorum virorum manere vi-  
deantur. Super hoc Christiana religio adulterium in vtro-  
que sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulie-  
res non facile de adulterio accusant, & non habent la-  
tentia peccata vindictam: viri autem liberius vxores adul-  
teras apud sacerdotes deferre consueuerunt, & ideo mu-  
lieribus prodiit earum crimine communio denegatur:  
virorum autem latente commisso, non facile quisquam  
ex suspicionibus abstinetur. Qui vtique submouebitur, si  
eius flagitium detegatur. Cum ergo par sit causa, inter-  
dum, probatione cessante, vindicta ratio conquiescit.

## V.

Illud etiam sciscitari voluisti, an preces dictantibus li-  
berum concedatur, vtique post baptismi regenerationem,  
a principibus poscere mortem alicuius, vel san-  
guinem de reatu: quam rem principes nunquam sine  
cognitione concedunt, sed ad iudices commissa ipsa vel  
crimina semper remittunt, vt causa cognita vindicentur.  
Quæ cum quæsitori fuerint delegata, aut absolutio, aut  
damnatio, pro negotii qualitate profertur, & dum le-  
gum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator im-  
munis.

## VI.

De his etiam requisuit dilectio tua, qui interueniente  
repudio alii se matrimonio copularunt: quos in vtra-  
que parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel  
vxore viuente, quamvis dissociatum videatur esse con-  
iugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt  
adulteri non videri, in tantum vt etiam hæ personæ, qui  
bus tales coniuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commi-  
ssisse videantur; secundum illud quod legimus in euange-  
lio: *Qui dimiserit vxorem suam, & duxerit aliam, mactatur:* <sup>Math. 19.</sup>  
*similiter & qui dimissam duxerit, mactatur.* Et ideo tales om-  
nes a communione fidelium abstinentos. De parentibus  
autem, aut de propinquis eorum, nihil tale statui po-  
test, nisi si incentores illiciti consortii fuisse detegan-  
tur.